cationem fecerit, & protestaverit se coram Domino Deo defendere non posse, si tot præclari Cives suî causâ paterentur, quia per intolerabile martyrium has falsitates eidem extorserant. Habe ergo benevole Lector epistolam Petri Exken à me ex linguâ Belgicâ in latinam translatam.

CAPUT XV.

Describitur tortura, & revocatio extorsorum mendaciorum Petri Exken Xantis facta.

INcipit igitur Petrus Exken defensionem suam hisce circumstantiis. Quartâ Martii Anno 1615. captus fui in Udem in Monasterio Canonicorum Regularium S. Augustini, & raptus in turrim quandam nominatam *Sluyters Toorn*, ab hoc loco deductus à quibusdam militibus Gochiam sedem mihi posuerunt in ferrea ista furibus præparata cavea; sextâ Martii circa horam octavam ad militare Tribunal deducor. Inprimis interrogant de Pasquillis & eorundem fabricatore, quibus Exken respondet, se de nullis pasquillis quidquam scire. Ponuntur ergo ob oculos quædam cantilenæ, rogantes: num mihi de iisdem constaret; dixi, quin imo. Interrogant, quæ sunt ergo? dixi, cantilenæ; proponunt ergo, quænam cantilenas inter & pasquillos est differentia? cui ego respondeo: cantilenas cantari, & pasquillos legi tantummodo posse. Instant ulterius, an nihil absurdi in Principem composuerim, ad quod negativè respondi, neque unquam audivi ab homine quodam aliquid inhonesti in Principem nostrum compositum fuisse. Respondent alii, de his te convince-

vincemus, petebam id mihi demonstrari, defensionémque meam ulterius omni meliori modo prosequebar. Interrogabant igitur: quando Bruxellis huc veniebas, nonne in Monasterio Gaesdonck fuisti? id quod affirmavi, dixíque hæc illis formalia: Prior dicebat mihi, ex animo mihi charus es, sed ne fottè in his turbulentis, & periculosis temporibus Monasterium nostrum vestri causa damnum patiatur; rogo ut tibi de alio hospitio provideas. Præclara proximi charitas, præsertim animi religiosi. Inquirunt ulterius, an & ibidem fuerint Cives Gochenses; ego pauliſper memoriam recolligens dicebam, ibidem fuisse duos laniones; quærunt, qualia cum illis verba feciſti; Respondeo, hæc mihi exciderunt, nisi quod adhuc recorder an socius itineris Gochiam versus esse vellem? An omnia verba quo ad originale suum taliter fuerint, non obſervavi. Rursum ad calumnias, interrogant me, tales an claves mecum contulerim, quibus portas Gochenses aperire valeam: dicebam minimè, neque de clavibus quibusdam scio; sed hæc addebam, me à Marchione, & Sereniſſimo Principe Neoburgico defensum fuisse, & Innocentem repertum eâ de causa, quapropter Gochiam, & natale solum relinquere coactus fui: replicabant alii; testes dictorum tuorum curabimus vocari, respondet Exken, tales mihi præsenti testes afferte. Introducuntur ergo duo *Hans den Vleeſslechter, en Pouwel Hackworſt*, quinimo viri supra modum corrupti, & infimæ plebis. Verùm quid hic cogitandum? Susanna innocens duos falsos testes accusatores habuit, Dominus noster Jesus Christus duorum falsorum testium calumniam sensit; quid mirum; si in depravato isto sæculo tales invenirentur, qui nullam

Conscientiam nisi in acquirendis Innocentum bonis circumferebant, foris sepulchra dealbata, extrinsecus autem putredine pleni. Hic postremus vocatur Hackworst, forsan ex innoxio sanguine, & carne Catholicorum sibi farcimina præparare mentis fuit.

CAPUT XVI.

De ulteriore procedura contra præfatum Petrum Exken.

Affirmant, inprimis tu supplicam muneribus additis Bruxellas deportasti Marchioni Spinolæ, similiter & scire avebant, qualis conspiratio in tapeto (ut ita dicam) foret. Respondet Exken, de his praxibus nihil mihi meâ viâ constitit, priusquam de captivitate civium intellexerim. Affirmat tribunal, quòd certi sint, quòd ego conscius sim, addentes; quâ postremâ vice Xantis fuisti? respondet Exken, transiit fermè medius annus, quærunt insuper; quod tibi verborum commercium fuit cum Presbytero Gerhardo; an non intenderet spatio semestrio Gochiæ comparere. Respondet Exken, comparebit; sed quo casu ignotum mihi est. Addunt, quo tempore fuisti apud Gubernatorem Gelriæ de Verdugo? Ad quod reponebam, eundem me totâ meâ vitâ non vidisse. Post hæc revertuntur ad cantilenam sicut ipsi dicebat Pasquillum sapientem, & in defamationem Sereniſſimi Principis compositam, & in medium producunt falsarium istum Textorem, qui me flagitii istius convincere voluit. Interrogabam eum: quo fundamento hoc scis? Respondet Textor: audivi te similia loquentem. Quæro ego; ubinam vel quo in loco? Respondet Textor, in diversorio. Interrogo; quæ-